

tudine sic nos in sui admirationem & amorem rapit, ut non tantum amicitiam cum ijs qui illa præditi sunt, jungamus libenter, sed & in sanguinis & affinitatis societatem admittamus cupidissimè.

Jacobum refert historia sacra, Rachelis connubium à Labano, suo obsequio nulla difficultate obtinuisse.

Prophana hoc nomine Pompeium commendat, quod is apud Antistium Prætorem causam suam supra ætatem graviter agens, tantam sibi laudem, gratiam, benevolentiamq; paraverit, ut prætor admiratione adolescentis captus, filiam ei nuptum statim dederit,

Simili modo & LOBECHII nostri pietas & eruditio, venerandi senis Dn. D. VALENTINI SCHACHTII animum ita in ipsum accendit, ut eum ambientem nuptias filiaæ suæ virginis lætissimæ URSULÆ, voti sui compotem fecerit libentissimè, generumq; dum vixit, amarit ardentissimè, ereptum nunc lugeat acerbissimè.

Quid vero viduæ in nono jam & recenti quatuordecim saltem dierum puerperio relictae, ex tam insperato mariti dulcissimi abitu, putatis superesse, Auditores animi? equidem tantò gravius eam hunc ferre casum dubium non est, quantò suavius se cum marito suavissimo, in annum tantum decimum quintum vixisse recordatur.

Respice quæso ad eam ô Deus omnis consolationis; ô pater orphanorum & viduarum; ac pectus triste tuo spiritu recrea; ut lachrymis modum ponens, sic maritum defleat, ut illum tecum vivere cogitet; præmissum non amissum statuatur; omnibusq; malis & periculis hujus immundi mundi præreptum, sibi persvadeat.

Domui verò suæ ut præfuerit LOBECHIUS, ut liberos, ut familiam rexit, mea commendatione non in

E

diget

Gen. 29.

Plutarh. in  
Pompeo.